


ORATIO
HABITA
A P. FRANCISCO PATERNO
Societatis Iesu Neapolitano
IN FUNERE
INOCENTII XIJ.
PONTIF. OPTIM. MAXIM.
 Dum in Templo S. Mariæ Novæ Ordin.
 Minor. S. Francisci Solemnia illi Juſta
 persolveret
 ILLUSTRISSIMUS, AC REVERENDISSIMUS D.
LAURENTIUS CASONUS
Archiepiscopus Cæſareæ, in Regno
Neapol. Nuncius Apostolicus
30. Octobris 1700.

Don Prof:

Neap. Cat. inv.



NEAPOLI, In Nova Typographia Dominici-Antonii Parrino.
Superiorum Permissu.



I quod est Funus, si qua est jactura, cui non unius, aut alterius tantum populi, sed universi quaqua patet terrarum Orbis & lachrymis, & mœrore sit parentandum, hanc maximè præ omnibus esse reor. AA. qua verè Optimum, verèque Maximum Christianæ totius Reipublicæ Principem. INNOCENTIUM XII. acerbo nimis, licet maturo fato raptum nuper dolemus. Licet enim si sua tantum spectare velim in eo rerum, ac temporum articulo decesserit, ut credi meritò possit sic eum mori voluisse: Dum composita inter Christianos Principes post tot bellorum discrimina consiliis, votisque suis insperatâ Pace: dilatato per Hungariam, Transylvaniam, Bosniam, Hellespontum Fidei orthodoxæ Imperio, fixisque inibi Othomanæ superbiæ terminis, quos nulla in posterum refigat audacia: propitiata Populis æterni Numinis munificentia, & patefacta per sæcularis anni celebritatem Cælorum janua: summa demum, vivacique sex & octoginta annorum senectute exacta, inter amplexus, & oscula patientis Christi, cuius in terris tam bene vices impleverat placidissimè expirantem, tot populorum, tot gentium in una Urbe concursus funere ita extulit triumphali, ut nihil illi vel in tam integra, longaque vita, vel in tam optabili, piaque morte ad summam defuisse gloriam videatur. Attamen si quæ sunt nostra, si quæ sunt Orbis intueor, vel inde maximè dolere cogor, quod quæcumque illi in argumenta summæ laudis cessere, eadem nobis in acerbiora luctus authoramenta cedere necesse sit. In eo enim uno & Roma splendidissimum amisit column, & Religio integrissimum Assertorem, & imperterritum Justitia Vindicem, & Pauperes Parentem munificentissimum, & nostra demum Parthenope absolutissimum è si-

nu suo natum Virtutum omnium exemplar , quod ad gloriam suæ Gentis , ad invidiam aliarum & ostenderet exteris , & ostentaret . Quidni igitur dolori nostro laxentur frœna ? Præsertim cum è Cælo ipso non leve ad dolendum incitamentum addiderit Custos fortunarum nostrarum , & Præses vigilantissimus Januarius , qui ut ostenderet quantum Orbis , quantum Urbs nostra præsertim in uno perderet INNOCENTIO , eadem die , eademque hora , qua ille desperato jam morbo supremum trahere spiritum Romæ cœpit , concreto hic repente sanguine , qui conuento miraculo jam effebuerat , variataque ad ejus usque mortem liquescendi ratione , abundè satis innuere visus est , nostras illi saltem debere lachrymas , cui & ipse tam luculento sui sanguinis obsequio ne dixerim , an impedio ? parentabat . Sequimur itaque Sanctissime Præsul , quâ præire voluisti ; tuisque à prodigiis funesti licet muneric exemplar , & omen accipimus . Verum ne inani , ac temporario tantùm luctu defunctum prosequi Videamur , en hic atratus adsum orator , non modo ut dolorem vestrum exaggerem , sed ut perennem quoad potero efficiam ; Augustam scilicet illius Imaginem vestris inscribens animis , non mutuatis ab eloquentia coloribus , sed nuda , ac simplici gestorum suorum narratione depictam . Quod equidem abundè consecuturum me spero si triplici illum magnarum Virtutum nexu ad Heroica formatum ostendero , CONSTANTI A nempè , qua semper sibi præsens , verèque suus : RELIGIONE , qua semper Cælo proximus , totusque Numinis , CHARITATE , qua semper sui immemor ac totus omnium : Hoc sanè fiet , ut INNOCENTIUS XII. triplici operum corona conspicuus , non minus Dignitate , quam meritis verè Maximus , verè Pontifex , verè Optimus orbi pateat ; Maximus quia suus , Pontifex quia Numinis , optimus quia omnium .

Nec miremini si recens ego à concionatorio suggestu , ac divinis potius , quam humanis addictus literis ad id muneric inexercitatus accesserim : Si enim omnia in luctu squalida , squalenti etiam inultaque Oratione tantum prosequi Funus par erat .

Nihil difficilius homini , ut cum Seneca loquar , Principibus præsertim viris , quam suum esse : quotus enim quisque illorum est , quem aut prospera non extollant , aut adversa non frangant , aut ardua inopinato occursu transversum non agant ? Si nimium Fortuna arriserit superbo illico fastu , & inani arrogantia tumidi nihil minus in seipsis quam fese noscunt ; & quasi hominem jam exuerint , propemodum inter Numina censeri volunt : si verò nimium vel per ardua , vel per adversa Fortuna fæviat , ingruente Veluti tempestate fracti amissio rationis clavo hac illacque feruntur , nec sibi constant . Ea enim imbecillæ mortalitatis nostræ conditione est , ut quicquid insolens , quicquid immodicum vel præter spem , vel præter modum acciderit , insueto oneri impar difficultè

limè ferat . Quanta itaque INNOCENTI gloria censenda est , qui utraque Fortuna major semper sibi præsens , semperque suus , nec ridenti unquam arrisit , nec iratæ succubuit ? Deo interim illum , vel inde à puero , velut Aquila pullum , utriusque ictibus exponente , ut omnia vel adversa , vel secunda , vel ardua irre torto despicere oculo astueret , ac talem sibi pararet animum , qualis universo Christiano Orbi , quem ejus humeris jam destinaverat , sustinendo sufficeret . Non ea mihi mens est , AA. ut vos per singula vitæ ejus momenta circumferam ; nam quis præclaræ tot annorum gesta aut memoria assequi , aut oratione complecti posset ? præsertim cum in ipso congesta videam quotquot disper sa miramur in aliis , & quæ divisa beatos efficiunt collecta habeat plurima itaque , ne modum excedam , de industria prætermittam ; reliqua libare potius , quam exornare contendam , ut quantus fuerit INNOCENTIUS vel inde discatis , quod nec se toto in digeat ut verè Maximus pateat . Age vero , si ejus primordia spectare volumus , quod ultra progredi , ut ejus tentaret animum Fortuna poterat , aut quid ipse fortius agere , quo invictum virtutis suæ robur ostenderet ? Dederat quidem illa ANTONIO PRINATELLO (id enim nominis privato fuerat) dederat , inquam , ex ea nasci Familia , in qua nihil unquam mediocre , ac sine discrimine tot probati , quot geniti : scilicet ne ad tam magna itu ro nobilissimi inter vos Generis deesset claritas . Dederat ex Ducibus Andriæ parem materni sanguinis amplitudinem , ut gemina Parentum gloria geminatis veluti stimulis ageretur ad maxima : Dederat eximias corporis , animique dotes , ac veluti virtutum femina , quo vel in puero excelsæ indolis specimen dignosci posset : cumulaverat demum hæc omnia hæreditariis , ac perquam amplis Minervini Principatus fascibus , divitiis , patrimonio ; quo nulla deesse viderentur ad summos conatus opportuna subsidia ; & ut verbo absolvam , quicquid illecebrarum , ac lenocinii Fortuna poterat in unum contulerat , fortasse ut irretiret , ac vinceret . At quid ad hæc INNOCENTIUS ? numquid ineautus blandienti succubuit ? numquid subdola ridentis incitamenta ad libertatem , ac vitia deflexit unquam ? Imò vero se ipso major , verèque suus eò usque hæc omnia infra se duxit , ut uni tantum servire modestiæ , virtutique coegerit : quantus enim in illo , quam generosus vel inter maximas opes divitiarum despectus ? quantus inter voluptatum illecebras integerrimi pudoris amor ? quanta in sui corporis , animique cultu vel mixta modestiæ gravitas , vel gravitati humanitas , vel humanitati continentia , & honestatis significatio ? planè ut affirmare liceat tanta fortunæ munera ad hoc unum illi protuisse , ut ejus animi virtus inter tot decorum ornamenta spectanda magis , & pulchrior sobolesceret . Nec alio facie cultu , quam splendido isto virtutum fyrmate innotescere primum Orbi debuerat INNOCENTIUS , ne ab inclita majorum suo .

suorum vel gloria , vel institutione deflectere videretur ; præser-
tim cùm duos illos non sine Numine sibi datos numeraret A-
vunculos , magna sanctitatis nomina , ac geminum Urbis no-
stræ , nostrique sæculi ornamentum , Aloysium nempè , & Vin-
centium Carafam , alterum præclarissimi Casinensium Ordinis ,
alterum minimæ Societatis meæ Antistitem optimum , qui om-
nibus virtutum numeris absoluti eximiam ejus indolem ad Pie-
tatem , ad Religionem , ad Innocentiam , de qua ipsi tām benē
merebantur , excolerent ; suisque veluti manibus ita effingerent ,
& efformarent , ut in supremo Ecclesiæ Solio , cui jam desti-
natum divino , ut ferunt , afflati spiritu præsenserant jamdudum ,
& prædixerant , exponi meritò posset , & adorari .

Sed quid ego in his constantiæ suæ primordiis , ac velitationi-
bus immoror , cum acrior fortunæ pugna justiore illi trium-
phum instruat ? Viderat hæc Adolescentem optimum tot blan-
dientis lenocinia animi sui firmitate superantem , & indignata se
vinci , subitò , quod sui moris est , in iram versa toto ut ajunt
bello , totoque furoris sui apparatu pugnare iterum voluit , ut ex-
pugnaret : At quo impetu Deus bone ! Si quicquid larga manu
contulerat , tot inclyta familiæ decora , tot ornamenta antiquæ
Dominationis , & gloriæ , veluti è Cælo tacta ita momento tem-
poris eversa voluit , ut deperdito Minervini Principatu , distractis
opibus , omnique censu in æris alieni solutionem dilacerato , sal-
tem inter domus suæ ruinas iratæ cedere affuesceret ; sentiretque
se infra privatam sortem ejus manu dejectum , cujus munere su-
pra magnatum conditionem fuisse nuper videbatur . Quo quid
gravius , per vestram fidem , quid molestius , quid magis Viro
Principi intolerandum , præsertim cui præteritæ gustus felicita-
tis , præsentis ærumnæ sensum acueret , ac geminaret ? Sed nus-
quam aliàs , si vera fateri volumus se ipso major , verèque suus
apparuit INNOCENTIUS , cùm ea pectoris , animique constan-
tia sævientem hanc malorum procellam exceperit , ut ipsa quæ
immiserat Fortuna suspiceret : Tām subitam enim , ac tām de-
plorandam domus suæ cladem adeò erecta cervice pertulit , ut
nihil Fortunæ iratus , uni Numini referret acceptam : hoc paruim
est : adeò irretorto despexit oculo , ut nec sentire penitus videre-
tur : hoc etiam parum : adeò demum à se dissitam , ac prorsus
alienam duxit , ut quamdiu vixerit ne meminisse quidem sit vi-
sus , nisi semel tantum , non ad doloris significationem , sed ad
virtutis obsequium ; cum enim hic Neapoli jam Purpuratus An-
tistes inter nos degeret , facta cum amicissimo sibi capite de Ec-
clesiæ suæ censu , illustri commemoratione : En , inquit , quanta
in immeritum largientis Dei munificentia ! duodeviginti millia
annui redditus familiæ meæ ruina amiseram ; tantumdem pror-
sus ex suo nunc Ærario reposuit mihi Numen ; scilicet ut habe-
rem à Sponsa , quæ frustra speraveram à Parentibus : Sed quan-
ta

ta quanta hæc sunt unis mecum Pauperibus servire par erit; nam quæ à Sponsa sunt dotes in filiorum jura cedere lex ipsa jubet. O vocem constantissimæ pietatis, veræque fortitudinis indicem, quæ nec amissis tractum, nec acceptis lascivientem ostendit! dignam sanè, quam sibi posceret Roma, ut universo Christiano Orbi ipsa, quæ Caput est sanctiora funderet, & loqueretur oracula. Et habuit sanè Roma, sed si fas est dicere, serò nimis, ac tardius quam pàr erat: Ipso interim magnam terrarum partem diversis munerum officiis percurrente, ut suis veluti oculis quem recturus erat Orbem lustraret, & inlyta ubique constantiæ, virtutisque suæ figeret monumenta. Excepit enim illum ut Fidei Quæsitorem Melitensis Insula; & subito nodum obtulit, cui verè ipso opus erat vel Ædipo ut extricaret, vel Alexandro ut scinderet: utrumque præstítit INNOCENTIUS, & scidit enim nodum, & extricavit tanta animi dexteritate simul, ac firmitate, ut universus ille clarissimorum Equitum Ordo uni ipsi assertam tranquillitatem, splendoremque suum referentes ituram ad posteros memoriam excitarint, quo tanti Nominis, tantique meriti fama non exolesceret. Excepit Pontificium Legatum Etruria; & jacta inter Italicos Principes discordiarum semina in maximum, ni obsisteret, evasura discrimen, tām acri, tām opportuno consilio, solertique manu compescuit, ut ipse qui primus cesserat Ferdinandus, velut hominem è Cælo delapsum veneratur. Excepit ad majora jam factum Polonica Regia; & quantum ibi excelsi, sibique constantis animi laudem adeptus est vel cùm distracta Magnatum obsequia Casimiro tunc Regi conciliaret; vel cum discíllis à Romano Capite Antistites ad orthodoxam unitatem adduceret; vel cum errantes à fide Armenos ad integerrimæ Religionis leges revocaret? quasi jam tūm ad Summi Pastoris curam, quæ sibi debebatur, proluderet, qui dissipatos tot ovium greges in unum undique ovile cogeret. Excepit demum suprema Christiani Imperii, ac Leopoldi Cæsaris Aula, quæ virum quâ ztate gravem, quâ Generis claritate conspicuum, qua gestorum suorum fama illustrem devenerata, omnia illi fausta, summa omnia, omnia, ut ita dicam, jam Purpurata jure merito acclamabat. Sed quis crederet, ubi summa expectabatur, ac propè tenebatur Fortuna, ibi nullam INNOCENTIO fuisse? nullam dixi? imò totam, sed infestam, sed iratam, sed ad extremum usque pugnacem: Etenim post tot exantlatos prò Christiano nomine, ac dignitate labores; post tot in Ecclesiam, Romanumque Senatum merita; post tot Pontificum splendida satis, ac speciosa suffragia, quippe qui ab Urbano inauguratus; ab INNOCENTIO inter Legatos adlectus; ab Alexandro ad altiora immisus, ab ipso demum Clemente in eo rerum, ac munerum fastigio constitutus; dum debitam promeritis lauream opperiri videbatur, Romanam ex improviso revocatus, ad extremos Italiæ fines progredi

gredi coactus est ; eademque manu , qua & Regnorum , & ipsius nuper Imperii tot arcana , tot momenta tractaverat , Lycensis Ecclesiaz insulas , quasi industria sua satis superque pates , regendas accipere . Fuit hic invictissime Pontifex postremus irascens fortunaz impetus , quo animi tui firmitatem arietare , ac dejicere conabatur ; sed fuit idem pulcherrimum , ac summum virtutis tuaz specimen , quo non modo adversa furentis arma , sed & te ipsum vincere visus es . Qualis enim , Deus immortalis ! quantusque fuit triumphus ille , cum inter dolentis populi voces , inter amicorum querelas , inter convicia , quaz tui cauta in Fortunam jaetabantur , unus ipse quasi nihil in te illa peccasset , erecta fronte , sereno vultu , animoque ad celestem prorsus tranquillitatem composito infortuniis ipsis insultare videbaris ? tua enim vox illa inter amicos fuit , ea te expedita dudum opportuni secessus otia celestis munera loca ducere , quo scilicet liberius aliquando & Caelo ipso , & te integro frui posses . O animum flecti nescium , ac plusquam triplici virtutis aere munitum ! cui tandem Fortuna ipsa tot victoriis domita , & arma penitus cederet , & se se imparem fateretur ! & cessit quidem illa , seque imparem professa est ; dum in reliquum vitaz spatium , quasi firma , stabiliq[ue] pace composita , blandientis in morem , ea omnia festinato obsequio in INNOCENTIUM contulit , quaz tamdiu irata negaverat . Quam tamen ego pacem ut potè constanti , diurnaque virtute partam , illustriorem qualibet Victoria reputo ; nam ubi hostis ex reverentia provocare non audet , plus est non pugnare , quam vincere .

Verum enim verò non ea omnia pax ista abstulit , in quibus animi sui firmitatem ostenderet INNOCENTIUS , & exerceret ; nam si defueret in posterum adversa quaz vinceret , superfuere tamen ardua quaz superaret . Qua quidem in re , ut quaz sentio paucis complectar , hac una de causa duos inter se INNOCENTIOS , Undecimum videlicet , ac Duodecimum tam proximo dissitos intervallo Deum voluisse existimo , ut ex arduis multa , quaz ille verè optimus Ecclesiaz protutura , afflante Numine conceperat , sed morte raptus non adhuc effuderat , Hic animi sui firmitatem ad maturitatem perduceret , & Orbi pareret : Eoque fieret ut coactis veluti in unum copiis federata virtutum agmina promoverent , & alter firmissima vita sua Sanctitate , alter sanctissima . Firmitate conspicuus in unam ambo perfectissimi Pontificis Normam coalescerent , quaz ceteris in posterum exemplo foret . Ans forsan incerta proferre video ? at ipsa certè amborum gesta loquuntur . Noverat ille quantam Pontificio Nomini labem vel inter blaterantes hereticos , vel inter culpantes quandoque Catholicos inuolueret nimius Cognati sanguinis amor , & profusa in Propinquos liberalitas ; eique malo opportunam ut faceret medicinam jam animo conceperat suo , & documenta posteris dare quaz

quæ sequerentur , & legem insuper ferre , quam non rescinderent . Dedit igitur quæ Orbis miraretur exempla , dum spectantissimum Nepotem suum in tanta voluit summi Principatus vicinia Pravatum agere : sed vel pro rei , vel pro temporis difficultate cautior nulla demum sancire id lege tentavit . Hoc itaque noster præstisit INNOCENTIUS , qui excelsa secutus exempla & nulla tangi Affinium cura voluit , & manūram in posterum legem fixit , quam ne unquam refrigerent universum Purpuratorum Senatum in sua jurare verba enixè compulit . Noverat ille quantum commendationis & gloriæ Vaticanæ Aulæ adimerent venalia Pontificiæ Quæsturæ Munera , quibus ipsam non suo lumine proludi videbatur ad Purpuram : & ad omnem integerrimæ religionis curam intentus , jam statuerat prompta , fortique manu hanc labem eluere . Sed quod ille tam benè conceperat , quasi demandata sibi provincia Hic noster effecit ; qui firmo , stabilique decreto , ut ostenderet se nonnisi virtutum , ac meritorum pretio impertiri dignitates , reddito emporibus ingenti auro , augustissimam illam Supremi Antistitis Regiam ea nota purgavit . Postremò , ne nimius in hac re videar , Noverat ille quam blando , personatoque ad r̄sum vultu mortiferum oculis , animisque venenum infunderent publica Comædorum Theatra ; & ut improbo , dulcique malo occurreret , nescio quid ingens conceperat animo , quo pestem illam à Fidei Metropoli eliminaret : veruntamen moderato pro tempore consilio contentus fuerat ea omnia per bacchanales etiam ferias damnata proscribere ; sed opportunior alter successit . INNOCENTIUS , qui inflexa firmitatis constantia , & damnata proscripsit iterum , & nequicquam populari licentia reclamante , Actores exegit , Theatra diruit , Aulas demum ipsas , & Atria disjecit , quasi adhuc parientes peccassent , quæ illi peccaverant , eademque severitatis censura & Histrionia , quæ placuerat , & saxa , quæ admiserant notanda essent . Quidni igitur post tot inconcussi pectoris documenta verè Maximum , verèque suum INNOCENTIUM dixerim , si per prospera , per ardua , per adversa jactatus semper sibi præsens humanis affectionibus major eminere vius est , ac toto vertice supra fuit ?

At ita sanè , si vera fateri volumus , supra humana omnia extare debuerat qui Pietate , qui Religione ; qui incorrupta morum Integritate jam ad supera transtulerat animum , totusque Numinis erat . Et ò , quam ingens hic , quam latè patens novæ iterum laudationis campus aperiretur in quo mea effundi , & exultare posset oratio , nisi in arctas temporis compulsus angustias ea cogerer vix verbo tangere , quæ in aliis & mirari , & exornare maximè possem ? tangam itaque prout potero ; sed quæ primùm , quæ postremùm hic tangam , cum tanto simul Virtutum numero mea obruatur oratio , ut à qua potissimum exordiri , & in qua tandem conquiescere possit ignorem ? An præcōcem laudabo Adolescentis Pietatem , qui à Sanctissimis Avunculis omnem edoctus religio-

ligionem, ita cæteris ad christiana munera præire gestiebat, ut in Collegiis, ac Sodalitatibus nostri Ordinis, in quibus & pueritiam, & juventutem exegit, inter domestica virtutum exempla numeraretur? An adulti spectatissimam in animi sui cultu sedulitatem, qua olim factum ut ubique locorum, præsertim Florentiæ & Insularum honore, & Pontificia legatione conspicuus, quæ pedes adire templa, quæ publicas frequentare preces, quæ dissimulata Muneris majestate nocturnis populi flagellationibus immisceri non erubesceret? An ejusdem jam Principis, jam purpurati Modestia, Frugalitas, Temperantia, quem scilicet non puderet pannosis sub purpura tegi vestibus quod plura superessent quæ in pauperes erogaret? qui ea tantum gulae tribueret, quibus non pompæ, non speciosæ ventris insaniæ, sed uni corporis necessitati serviret? qui ea demum domi suæ suppellectilis ornamenta vellet, quæ honoris gradus, non quæ fastus ambitio posceret; tatis superque ornatas ædes prædicans, quas una Numinis gloria, & integra domesticorum disciplina commendaret? At leviora sunt ista quām ut in summæ religionis Principe velut rara, velut excelsa mirati debeam: Majora certè supersunt, quæ vestram sibi, meamque prædicationem jure merito vendicant. Quantum enim supra communem hominum sortem reputandum est, quod INNOCENTIUS inter tot dissita Nationum ingenia, inter tot licentioris Aulæ incitamenta, & sæculi lascivientis lenocinia, ea qua erat & rerum copia, & corporis robore, & formæ venustate spectabilis, tantæ semper, ac tam sollicita Continentia, & Castimonia cura per integrum ætatem vixerit, ut difficillimam hanc in viro Principe laudem sit assecutus, ut esset scilicet Pudicus, & credetur? quod sanè etsi ubique gentium omnino rarum, Romæ tamen pro miraculo propemodum habendum est, oculatissima nimirum Urbe, omnium gnara, nihil reticente, ac semper in altiori fortuna deteriora quæque vel fingente, vel suspicante: numquam enim tantæ sibi laudis præconium afferere potuisse INNOCENTIUS, nisi & agendi cautione, & loquendi modestia, & oris totius verecundia, quæ undique pudicitiam spiraret, venenatis livoris oculis omnem vel fingendi, vel criminandi aditum præclusisset.

Age vero quanta in ipso, quām officiosa, quām piæ summi Numinis reverentia? quanta in ejus cultu Vigilantia, Sanctitas, Sollicitudo, Munificentia? quanta & in ore majestas, & in animo religionis sensus, & in præcordiis ardor, vel cum Privatus ad aras faceret, vel cum publico ritu celebraret solemnia? Vidi ego AA. vidi illum dum Romæ eram (nec temperare lachrymis potui) cum in humeros elatus ad Pontificia peragenda sacra procederet, tota mente nedum toto vertice supra homines aslurgentem; procero corpore, augusta fronte, oculis dulci quadam severitate nitentibus, totoque vultu ad modestiæ, & gravitatis

normam composito ; aurato insuper Syrmate , ac distincta gemmis Tiara insignem , verè Vicariam in terris Numinis majestatem referre : eoque spectaculo veluti cœlesti quadam scena increbili & voluptatis , & venerationis sensu perfusus , en , ajebam , quām benē conveniunt , & in una sede morantur Majestas , & Numinis amor ! quam benē corpori respondet animus , & animo vestis ! par enim erat ut qui jam animo per tot virtutum experimenta Deum induerat , Deum pariter sublimi corporis habitu , ac dignitate referret : ò Numen ! Verumtamen non omnes Numinis partes hac una illum vel Pietate , vel Majestate implere dixissent , nisi etiam iratum referre nosset , & sua , cum res posceret , in peccantes torquere fulmina . At quis in hac parte vel animo , vel manu promptior INNOCENTIO ? qui ad omnem Justitiae legem factus , unique semper Cœli normæ addictus , nullibi unquam grassari scelera paſsus est , quin sua veluti fulmina diligenti manu immitteret . Vedit ROMÆ Privatorum quandoque jura per summam injuriā à Potentioribus opprimi , qui gravissimo alieno ære contracto , nec de minima quidem solutionis cura solliciti Creditorum suorum lachrymis insultare videbantur ; dum interim illi emptis veluti ære suo ærumnis , & paupertate non sua premerentur : Exarsit graviter æquissimus justitiae vindex , & ut injustæ amborum sorti succurreret jussit illicè ipsa Principum jura in privatorum commoda cedere ; ut & illi gravissimo debitorum onere , & isti indebitis miseriis levarentur : nec ante deficit quia sua iussa & rata yiderit , & perfecta . Vedit effronti quadam impudenteria non jam occulte , ac furtim in sola domorum penetraliæ , sed in ipsa propemodum Judicantium Fora Munerum licentiam irrupisse , quæ & Justitiam venalem faceret , & legum corrumperet innocentiam : Exarsit , & in hæc Sanctissimi Juriſ dishonestamenta ne dixerim an adulteria ? tam acri damnationis Diplomate , tantisque dirarum comminationibus invectus est , ut ex altissimo illo suæ Dignitatis veluti Cœlo verè fulmina non verba jacere visus sit . Vedit in ipsa etiam Templorum adyta , simulata Religionis imagine , theatralem quandam insiluisse cantionum lasciviam , qua musica hymnorum solemnia consuetis in scena modulis cancerentur ; solerti scilicet humani hostis commento , ut inter ipsa sacrorum mysteria , & supplicantium Deo vota , audita olim fabularum obscenitas supplicantibus ipsis rediret in mentem : Exarsit integrissimus religionis assertor , & ut hanc animorum pestem à sua saltem Roma , utinam & hinc ! prorsus eliminaret , excusso centuræ fulmine cavit in posterum ne ullæ in solemnibus cantiunculæ præter sacra Davidis carmina , compositis ad Christianam pietatem numeris cancerentur . Sic ille uni semper addictus Numinis , per Fora , per Tempa , per Domos ipsas sollicitudinem , curamque suam circumferebat , ut omnia sine labore pura ubi Deo adduceret .

Quid itaque mirum , si ut par pari redderet , tantæque integerrimi Viri industrix responderet Deus ea demum , & quidem rara , ac splendida intra sui Pontificatus fines liberali manu concluserit , quæ ad plura illustranda sæcula suffecissent ? tanta enim , ac tam magnifica , si vera perpendimus , in hanc extremam deficientis sæculi periodum congesta vidimus , ut si quis mente pervolvat , non decennium , sed ævum putet . Quantum enim commendationis , & gloriæ suo nomini afferet , quod ipso Ecclesiæ clavum moderante , cum totus prope modum Christianus Orbis iratis bellorum fluctibus agitaretur , placidissima ex improviso Tranquillitas , & alta Pax , cum minimè speraretur effulserit ? Et quod caput est , ed illustrior , ac miranda magis effulserit , quod nullo nisi , nullo minarum impetu , nullis agitationum conatibus , sed sola vel mandantis , vele exhortantis voce sit parta : quasi verò demandata sibi à Christo Servatore provincia , dormienti similis imperaverit ventis , & Pax emerserit : quo sanè factum ut non humana , sed divina prorsus opera , imò ex ipso Dei sinu ad Pontificis sui vota in nos effusa credi merito debeat , unique ipsi quanta quanta est acceptam referre cogamur.

Quantus , (in nullo enim immorari decrevi , sed cuncta cursim rapitique delibo , ne præscriptas temporis leges præteream) Quantus inquam , novæ laudationis & gloriæ accedit cumulus , quod Lütherana Hæresis , pestis nempè illa , ac furiosa animorum Erynnis post tot illatas romano nomini clades , post tot inficta orthodoxæ fidei vulnera , post obduratam per duo propè sæcula rebellionis audaciam , tandem quasi invenisset aliquando cui manus daret , in Serenissimo Saxonię Duce , hoc est in suo olim primævo capite ad INNOCENTII pedes acciderit ? & quod maximè mirum est , inter illos iplos ad quos venerabunda acciderat pedes Polonicum sibi Dia-dema & invenerit , & firma , fidelique manu aptaverit ? ita scilicet satagente Divini Numinis Providentia , ut ipsimet intelligerent Eterodoxi , Romana Dogmata non tyrannicam animorum servitutem , ut perperam effutire confueverant , sed veram esse ingenuę libertatis tesseram , verique imperii documentum ; cum etiam Augusto ipsorum Principi ad Romani Antistitis pedes accidisse Regnasse fuerit , & in Coronę authoramentum cesserit ejurata perfidia .

Quanta iterum splendidi nominis , novæque laudis accessio , quod magnus ille Moschorum Dynastes & bellica insignis gloria , & aucto nuper imperio jam timendus ; licet religione non minus quam regionibus à Roma dissitus , integerrima tamen , sanctissimaque INNOCENTII fama permotus vel deposita , vel sequestrata barbarie ornatissimam illi legationem destinaverit , qua & Numinis maiestatem in sua veluti Imagine adorare videretur , & exquisitis sibi muneribus promereret ? & quod maximè rem exaggerat , id egerit non avitæ , errantisque fidei suæ odio , quam ejurare piaculum

om.

omnino duceret , sed sola tanti Nominis reverentia , & excelsa .
Pietatis specie , quam in tanto Hierarca venerabatur . Quo sane
patuit quantum Ecclesia , quantum orthodoxa Religio suo debe-
rent Innocentio , qui intacta morum suorum Sanctitate , etiam
ab hoste venerationem illis , & obsequia conciliaret.

Postremò , quantum augusti decoris additamentum , quod Magnus
ille imperio , sed major pietate morum Etruriæ Dux hoc ipso lu-
strali criminum anno , qui ultimus INNOCENTIO fuit , Romam
dissimulata Majestate peregrinari voluerit , quo tanti viri & San-
ctitatem coram intueretur , & intimo frueretur alloquio & ex-
petito diu satiaretur aspectu ? Novi equidem , Sereniss . Princeps ,
tuum illum ad Urbem accessum triumphi loco fuisse ; quamvis
enim privato habitu Principem occultare conabar , Excelsæ ta-
men frontis , Regique oris Majestas ita se se prodebat , ut inter
affluentium populorum plausus , inter Purpuratorum gratulationes ,
inter Cælitum ipsorum gaudia , non peregrinando incedere vide-
reris , sed triumphando . Novi quanta gestientis animi lætitia per-
fundereris vel cum Augustis Apostolorum liminibus Augustus ipse
afflatus procumberes ; vel cum Sacros Divorum invisens cineres ,
quibus jam tanta donaveras , gratias simul ageres , & accipe-
res , vel cùm in Canonicorum Senatum adscriptus linea induitus
veste Servatoris effigiem plaudenti populo venerandam exhiberes ,
coæquatus nempe in hac parte Cæsaribus , cum id honoris officium
non nisi Carolo primum V. Uladislao deinde Poloniæ Regi tribu-
tum olim historiæ referant : sed quod maximè votorum tuorum
summam implevit hoc unum fuit , INNOCENTIUM vidisse ,
INNOCENTIUM adorasse , INNOCENTIO protus uber-
tim lachrymis procubuisse : tanta enim virtutum ejus , ac San-
ctitatis imago animo tuo oborta est , ut demortui postmodum
Cor amplissimi muneris loco tibi posceres , ut auro , gemmisque
ornatum inter sanctiora Regiæ tuæ decora collocares . Quod qui-
dem tanti Principis divinarum rerum èquè ac humanarum peritis-
simi de INNOCENTIO judicium prò summa laudum ejus coronide ha-
bendum est ; numquid enim addicta ad eò venerationis officia vel
viventi , vel emortuo tribuisset , nisi conjectis in intimum illius
animum oculis , ipsa propemodum Pietatis manu elaboratum , To-
tumque Numinis perspexit?

Sed jam publica Populorum vota reprobrare mihi videntur quod
suum sibi quæ Principem , quæ Antistitem , quæ Parentem huc
usque negaverim , eumque vel uni Sibi , vel uni Numini addi-
xerim cum totus omnium fuerit . Audio : nec sane pœnitet quod
in extremam usque orationis meæ partem hanc INNOCENTII lau-
dem , quæ fortasse prima videbatur , distulerim ; Nam quæcum-
que ille excelsa , Magnifica , vereque Regia vel in Pauperum ,
vel in totius Reipublicæ commoda , & ornamenta confecit ; quò
magis communem hominum sensum , & expectationem superasse

videntur , eo minus ascitos eloquentia colores expetunt , nec indigent oratore cum per se ipsa loquantur . Quid itaque vel tanto Viro , vel tanta ejus munificentia , vel vestra dignissima expectatione hic eloquar ? Hoc unum sanè , in quo omnia velut in arctum contracta & complecti mihi videor , & in bono lumine collare ; INNOCENTIUM nempe XII. non sibi , sed Orbi natum Charitati semper vixisse , Charitati omni auro litasse , Charitati immori voluisse . Quidni ita , si plusquam quadragies centena millia vel in publicis molibus excitandis , vel in Pauperum miseriis erigendis impendisse dicatur ? Opposita videlicet , si fas est dicere , Midæ sorte ; si enim illi , ut olim fingere fabula auta est , insigni rapacitatis , & avaritiae portento , & lapides , & panes , & quicquid manu contrectaret abibat in aurum suis tantum commodis , seu verius incommodis profuturum : INNOCENTIO contra , perpetuo charitatis miraculo quicquid opum , quicquid auri veniret in manus illicè vel in operum lapides , vel in pauperum panes , vel in publica populorum commoda commutabatur . Nec alium ego testem , quām eadem ipsius gesta hic invoco , cum & quæ fecerit , & ea etiam quæ non fecerit præclara id , plenaque voce loquantur . Percurrите animo , si minus oculis , tot Operum , tantisque moles , quas ille vel Antii , vel Centumcellis , vel in ipsa Regina Urbium Roma profuso ære confecit ; an non ista tantarum rerum molimina animo vestro stuporem injiciunt ? at quid potissimum in his miramini ? an excelsam operum magnificentiam , & Majestatem , qua ipsorum Cesarum vel equasse , vel superasse aliquando conatus visus est ? an in iis excitandis celeritatem , qua eorum plurima intra biennii fines ad coronidem usque perfecta , incenarum more , imò verius portenti instar enata potius , quam constructa visa sunt ? an postrem opportunam eorum utilitatem , & commoda , quippe quæ non ludis ut olim Theatra , non Cineribus , ut Mausolea ; non populi lascivientis licentie ut Circi , Metæ , Nau-machiæ , cæteraque id generis vana nomina ; sed vel excipiendis Pauperibus , vel servandis populo mercibus , vel juri dicendo , vel tutæ Navibus stationi parandæ destinata surrexerint ? benè omnia ; singulorum enim consideratio vestram jure merito sibi poscit commendationem , & laudem : At ipse , liceat fasso loqui , quæ maximè in illis miror non sunt augusta illa quæ video , sed quæ non video . Attollite oculos , per vestram fidem ; omnia quaquaversum circumspicite , ac perlustrate , num quis erexerit hæc tantarum rerum molimina perlegitis ? numquid aliquod vel sui nominis , vel sui stemmatis insigne prostat ? Apage vero ; de honestamenta enim ista , non ornamenta domorum esse , INNOCENTIUS duxit ; hæc illorum inanis gloria , imò verius speciosa insania est , qui sua sibi tantum , ac sese curant ; at ipse qui non sibi , sed orbi natum se noverat , ita omnia in aliorum commoda cedere , ita se , ita sua uni tantum Rei publicæ servire voluit , ut ne nomini quidem suo

suo servirent ; quo tamen factum ut augusta illa munificentia
suæ monumenta eo illustriora assurerent , quo nuda magis , ac
sine nomine ; summæque laudis loco aptari I N N O C E N T I O pos-
sit quod olim ille cecinit.

Mire Opifex quod tu facisti sit licer igens,

Quod non fecisti plus ego miror opus.

At quæ tandem deficiente jam tempore , deficiente voce hic di-
cam de profusissima illa , ac propemodum divina in suos Paupe-
res charitate , quæ vel utramque vel sanè potissimum laudationis
eius paginam facere debuisset ? quæ dicam Deus immortalis ? Di-
cam sanè ingentem hanc sui Nominis laudem consultò huc usque
me distulisse ut extremum orationis meæ exitum ea Charitatis com-
mendatione veluti corona redimirem , qua & ipse extremum
vitæ suæ exitum ad immortalitatem exornavit : secum enim natam ,
secum adultam , nunquam tamen senescentem , ita sibi morien-
ti vivam , spirantemque adstare voluit , ut uni ipsi , cui jam de-
derat omnia , quicquid post omnia superesse videbatur , lectum ,
vestes , interulam , animam quoque ipsam , ut ita dicam , moribun-
da voce legaverit : an non itaque verè omnium , qui non moda
aliis vixit , sed ne suus quidem mori voluit ? Dicam unos illum
inopes utpote Christi Sanguine sibi junctos , suos sibi Liberos , Ne-
potes , Affines , uno verbo sua esse omnia voluisse : & ut firmis-
simus assereret testimonio quanti ficeret , unis ipsis mirante Orbe ,
plaudente Cælo , ipsa præ gaudio Charitate gestante , mansurum
in posterum Principatum instruxisse , in quo si malem spectes ad
inhabitandum erectam , verè Regiam dices : si diurni cultus nor-
mant , & institutum , ad delicias usque productum miraberis : si
annui census rationem ac summam , non minus quadraginta
millibus romani æris in annos singulos stabilitam invenies : Tanti
stetit I N N O C E N T I O suis in tam nobiles Nepotes amor , & in
exorrhanda Paupertate sollicitudo . Dicam postrem illum tan-
tum auri , tantum argenti in cujusvis generis inopes per integrum
vitæ suæ cursum pleno , ut ajunt , alveo derivasse , ut si quis I N-
N O C E N T I U M simillima animo suo Imagine spectandum Orbis
exhibere vellet , non alia prorsus aptiori posset , quam una illa ,
qua olim Stasicles Alexandrum fingere destinaverat ; Ingredi
scilicet Simulacro quod altera manu non Urbem , sed universam
quaqua patet Ecclesiam sustentare , ac regere videretur , ex alte-
ra inexhaustum auri flumen emittere , è cuius unda Peregrini ,
Debiles , Pupilli , Viduæ , miseri demum omnes , & erumnos
ad delicias usque suas haurirent , ac biberent . Sed quid ego tanti
viri munificentiam flumini comparo cum Mare fuerit ? Fluviorum
enim cursus unius Regni , aut Regionis fines vix unquam viden-
tur excedere : mare verò in quoslibet terrarum sinus effusus , om-
nia suis fluctibus alluit , & circumpletebitur . Quidni igitur I N N O-
C E N T I O charitatem mare dixerim , qui non una tantum Roma-
non

non una contentus Italia , sed universum animo comp̄lexus Or-
bem opportuna p̄ò tempore suæ largitatis subsidia in Hiberniam ,
Agliam , Scotiam quò Catholici stabilirentur immisit ? immisit in
Gallias,quò extorres è Britannia Fidei Præcones alerentur : immisit
in Hungariam , Poloniam, Germaniam , quò pugnantium olim pro
Christiano nomine Militum vel vulnera foveret , vel debilitatem
erigeret ; immisit demum in extremos ipsos remotissimi orientis fi-
nes , quò Fidei lumen auri sui præeunte fulgore clarissim⁹ ethnico-
rum oculis coruscaret . Nec suam ille , nostramque Neapolim , cui
spiritum , vitamque suam debere se noverat tantorum munera
expertem voluit , in hanc enim , si vera fateri volumus , penitiores
beneficiæ tuæ sinus effudit , vel cum Pauperibus ornamento
suæ Domus , ac pretiosam addiceret suppellec̄tilem ; vel cum Pe-
stilentia tactos immisso ingenti auro reficeret ; vel cum hæredita-
rios Patrimonii sui proventus redimendis in posterum captivis lega-
ret ; vel cum Antistitum spolia donaret Ecclesiis ; vel cum labo-
ranti vestræ Urbis Annonæ tot millia quæ sibi debebantur liberali
manu remitteret . Per omnia prorsus Mari similis , in quod flu-
mina ad hoc unum influunt , ut Orbi reddat ; nec sua uititur im-
mensitate , nisi ut omnibus pateat , & aliorum commodo ser-
viat .

Ita ille inter nos vixit cum diù vixit : sed eheu ! vixit , in-
quam , non adhuc vivit . Hoc uno equidem de nostra omnium for-
te non benè meritus , quod tandem obiit : etenim quò pleniori
charitatis officio nobis non sibi vixerat , ed acerbiori doloris sen-
su nobis , non sibi emori visus est . Et nobis sanè non sibi
obiit , qui Terris eruptus jam Superis vivit , suoque Cælo quod
gestienti nuper manu omnibus aperuerat insertus est ; fortasse ne
iterum claudere cogeretur quod diù semper animis , votisque no-
stris apertum vellet . Vivit itaque Cælo , qui terris tamdiù vixe-
rat , & charitate ducente præire voluit qua sequamur . Hoc lante-
acta illius merita nobis innunt : hoc placidissima mentis , animi-
que tranquillitas qua diem clausit : hoc patrata quædam , si fas est
credere , ad ejus cineres mira , quæ fama profert . At mihi p̄ò in-
genti satis miraculo , imò pro omni est quòd INNOCENTIUS XII.
Constantia Maximus , Religione Pontifex , Charitate Optimus ,
verè Suus , verè Numinis , verè Omnium Vixerit .



INSCRIPTIONES IN APPARATU Ejusdem Funeris.

I

INNOCENTIO XII. PONTIFICI MAXIMO
EX GENTE PIGNATELLA HUJUS AMPLISSIMÆ URBIS PATRICIA,

ET NOBILISSIMA.

QUI CUM PRÆCLARAM INDOLEM, ET INGENIUM
OPTIMIS DISCIPLINIS, ET ARTIBUS EXCOLUISSET,
ROMAM, UBI PUER ANTEA FUERAT ERUDITUS,

ADULTA JAM ÆTATE REVERSUS, ET MUNERIBUS ADMOTUS
URBINI PROLEGATUS, MELITÆ QUÆSITOR FIDEI, ET VITERBII GUBERNATOR,
DEMUM NUNCIUS PRIMO IN HETRURIA, MOX APUD POLONOS, ET APUD GERMANOS
EGREGIAM PER TRIGINTA FERE ANNOS APOSTOLICÆ SEDI,
EXIMIA SEMPER FAMA, ET GRATIA APUD OMNES,
NAVAVIT OPERAM.

IN URBEM REDUX AD ECCLESIAM LYCIENSEM, QUÆ ILLI A CLEMENTE X.
FUERAT COLLATA, MIRA ANIMI CONSTANTIA, ET MODERATIONE PROFECTUS;

AC NON MULTO POST AD MUNUS SECRETARIi S. CONGREGATIONIS
NEGOTIUS EPISCOPORUM, ET REGULÆ PRÆPOSITÆ REVOCATUS,
EXINDEQUE PONTIFICO CUBICULO PRÆFECTUS;

AB INNOCENTIO XI. CARDINALIS CREATUS,
EX EPISCOPATU FAVENTINO, ET LEGATIONE BONONIensi
AD ARCHIEPISCOPATUM NEAPOLITANUM, ET EX HOC
AD ECCLESIA UNIVERSALIS REGIMENTUM FUIT EJECTUS,
CUI SANCTE, ET FELICITER PRÆSERVAT ANNOS IX. MENSES II. DIES XV.

CATHO-

II.

CATHOLICÆ VERITATIS CUSTOS , ET MAGISTER
RENASCENTES PRAVARUM OPINIONUM ERRORES
APOSTOLICA CENSURA CONFIXIT ;
ET DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ VINDEX
QUIDQUID IN MORES , AC INSTITUTA CLERICORUM , ET REGULARIUM
CONTRA SACRAS MAJORUM REGULAS IRREPSEBAT
SANCTISSIMIS DECRETIS CORREXIT .

III.

BELLUM SACRUM ADVERSUS TURCAS
TAM PROSPERE A FOEDERATIS PRINCIPIBUS GESTUM
ET TANTA CUM CHRISTIANI NOMINIS GLORIA
SUB IPSO CONFECTUM
TRANSMISSIS IN GRÆCIAM QUOTANNIS
MAGNA CUM MILITUM MANU TRIREMIBUS
ALIISQUE SUBSIDIIS LIBERALITER JUVIT .

IV.

AD ALIGENDUM IN VINEA DOMINI NUMERUM OPERARIORUM ,
QUI GENTIBUS , QUÆ SEDENT IN TENEBRIS ,
ET REGIONE UMBRÆ MORTIS ,
EVANGELICÆ PREDICATIONIS LUCEM
AFFERRE POSSENT ;
APOSTOLICA LARGITATE INGENTEM AURI VIM
COLLEGIO DE PROPAGANDA FIDE DONO DEDIT .

V.

INTELLIGENS SUPER EGENUM , ET PAUPEREM
IN PALATIO LATERANENSI HOSPITIUM APERUIT
PRO INVALIDIS ;
ET ORPHANORUM PATER , AC TUTOR
PUEROS INOPES , ET VAGOS IN AMPLA DOMO AD ID EXTRACTA RECEPIT ,
UT ALERENTUR , ET IN PIETATE CHRISTIANA ,
AC IN OPIFICIIS INSTITUERENTUR .



VI.

BRITANNORUM, ET HIBERNORUM INOPIAM
 QUI OB INVICTAM IN RELIGIONE CATHOLICA CONSTANTIAM
 FORTUNIS OMNIBUS EXUTI
 A PATRIA EXULARE SUNT COACTI,
 ET AMANTISSIMIS OFFICIIS APUD ALIOS,
 ET SUAMET LIBERALITATE SUBLEVARE NON PRÆTERMISIT.

VII.

OBLITUS DOMUM PATRIS SUI
 UT IMMACULATUS ESSET
 CARNEM, ET SANGUINEM NON RESPEXIT;
 ET LEGE LATA
 NIMIS EFFUSUM ERGA CONSANGUINEOS AMOREM, ET STUDIUM
 IN SUMMO SACERDOTIO COERCUIT.

VIII.

AUGUSTUM SAXONIÆ DUCEM, ET UNUM EX IMPERII SEPTEMVIRIS
 CUJUS MAJORES SUPERIORI SÆCULO
 PRIMI IN GERMANIA A RELIGIONE CATHOLICA DEFECERANT,
 IN ROMANÆ ECCLESIÆ COMMUNIONEM RECEPIT,
 AC IPSIUS ELECTIONEM IN REGEM POLONIAS,
 PACIFICATIS PROCRUM AB ILLA DISSIDENTIUM ANIMIS, RATAM HARUIT.

IX.

OPPORTUNE, ET IMPORTUNE OBSECRANDO,
 AC PLURIES OB ID INDICTIS ECCLESIÆ UNIVERSÆ
 PUBLICIS SUPPLICATIONIBUS,
 CHRISTIANOS PRINCIPES DIUTURNO, ET ACERBISSIMO BELLO
 INTER SE DIGLADIANTES
 AD PRISTINAM CONCORDIAM REVOCAVIT.



ut

X.

UT EXPEDITIUS, ET SANCTIUS
JUS SUUM UNICUIQUE REDDERETUR,
PLURA IN JUDICIIS EMENDAVIT,
AC EX INTEGRO SANXIT;
ET UT JUDICES IN OFFICIO CONTINERET,
FACILEM SE ADEHNTIBUS ETIAM PUBLICE EXHIBUIT.

XI.

AQUAS EX FONTIBUS FORI CLAUDII
A TRAJANO CÆSARE DERIVATAS,
ET INJURIA TEMPORUM INTERMISSAS, DILAPSASQUE,
NOVO AQUÆDUCTU, A FUNDAMENTIS EXTRUCTO,
PER VIGINTI, ET AMPLIUS MILLIA PASSUM,
AD INCOLARUM, ET NAVIGANTIUM COMMODUM
CENTUMCELLIS RESTITUIT.

XII.

ANTII PORTUM A BARBARIS
ANTE PLURA SÆCULA EVERSUM, ET RUDERIBUS OBSTRUCTUM,
OPPORTUNIORI LOCO EFFOSUM,
AC AGGERIBUS ADVERSUS MARIS ÆSTUS MUNITUM,
AD PRÆTERNAVIGANTIUM CONFUGIUM
ITERUM APERUIT.

XIII.

AMPLISSIMIS ÆDIFICIIS
PARTIM ABSOLUTIS, ET RESTAURATIS, PARTIM A FUNDAMENTIS EXTRUCTIS
MAJESTATEM URBIS MIRIFICE AUXIT,
EX QUIBUS VEL PRÆCIPUUM, FORUM AB EJUS NOMINE
INNOCENTIANUM APPELLATUM, IN QUO NEGOTIA, AC LITES
COMMODIUS PERTRACTARI A CAUSIDICIS, ET A LITIGATORIBUS,
ATQUE EXPEDIRI A JUDICIBUS POSSENT.

V.A.1
154621b